

Franckesche Stiftungen zu Halle

Pavli Manvtii Commentariivs In M. Tvllii Ciceronis Epistolas Ad Diversos

Accedvnt Eivsdem Scholia Et Hieronymi Ragazonii In Easdem Ciceronis
Epistolas Commentariivs

Manuzio, Paolo

Lipsiae, A.C. MDCCLXXIX

VD18 90852230

Epistolae VII.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:5:1-219543](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:5:1-219543)

EPISTOLAE VII.

ARGVMENTVM.

Cum esset Cicero proconsul in Cilicia, ex M. Coeli, aliorumque literis, tribunum plebis designatum esse Curionem, cognouit, eique hac epistola, tribunatum plebis iam ingresso, gratulatus est. post gratulationem sequitur cohortatio, tum reipublicae, tum etiam amicitiae debita: timebat enim Cicero, quod euenit, ne Curio, mutata sententia, ab optimatibus deficeret. proponit igitur ei temporum vim, rerum varietatem, incertos exitus, flexibiles hominum voluntates: suadet, ne cuius consilium sequatur, se ipsum audiat, sibi obtemperet. Postremo rogat, ne quid sibi temporis prorogari in provinciae administratione patiatur. Scr. Sulpicio M. Marcello coss.

EXPLANATIO.

Vt sempiternae laudi] Quibus gratulamur, iisdem proximo loco bene precari solemus: vt lib. 15. epist. 7. *eumque honorem tibi deos fortunare volo.* item epist. 11. eiusd. lib. *tibi velim hi sint exitus, quos mereris, et quos fore confido.*

Ne te auferant aliorum consilia] Quod accidit.

Labere] Errabis. lib. 1. de Fin. c. 6. *Epicurus, in quibus sequitur Democritum, non fere labitur.* Interdum coniungitur. nam, *labi per errorem*, dixit lib. 3. ad Q. Fr. epist. 9. *labi imprudentia*, in orat. pro Rabirio Post. c. 1.

Animum] Nihil igitur timide facies.

Consilium] Non laberis imprudentia. Sequentibus verbis explicantur superiora: *non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias.*

Non vereor, ne quid timide, ne quid stulte facias] Dicit: nihil te timide, nihil stulte facturum confido. Sic locutus lib. 5. epist. 12. et lib. 11. epist. 1. et Matus lib. 11. epist. 23.

In id reipublicae tempus] Tale tempus, quale cernis.

Iudicio tuo] Poterat enim Curio tribunatum differre ad alia tempora, cum urbanae res meliore loco, ac tranquilliore statu viderentur.

Profecto] Iudicasti enim tibi hoc tempore gerendum esse tribunatum, vt opem ferres afflictæ reipublicae, ex quo sequitur, vt optime intelligas, ac videas, quanta vis in republica temporum sit, quanta varietas rerum etc.

Quanta vis in republica temporum] Commemorat vitia ciuitatis, sed ex persona Curionis; ne videatur ignarum, et rudem admonere: quo si omnes offenduntur, multo magis, qui magistratum gerit. ideo dixit, *profecto vides.* Sunt autem propositiones duae. vna, cum iudicio, non casu, in ipsum rerum discrimen contuleris tribunatum tuum; profecto vides, quibus vitis respublica laboret: altera, cum videas, quam corrupta respublica sit, profecto cogitas, quid agendum tibi sit. haec tota com-

com-

commemoratio videtur esse cum aliqua laude Curionis. laudatur enim et voluntas erga rempublicam et prudentia; voluntas in eo, quod sua sponte, suoque iudicio, non casu aut temeritate contulerit tribunatum suum in aduersa reipublicae tempora; prudentia, quia videat, quanta vis in republica temporum sit, quam incerti rerum exitus, et quae sequuntur. captat igitur beneuolentiam Curionis hac laude: et sibi satisfacit, quod in laude latet admonitio. Vis autem temporum saepe tantum valet, ut hominum voluntates, et consilia superet, leges, et instituta peruertat, et omnino prudentem ciuem adducat, ut, tamquam peritus gubernator, obsequatur tempestati, ita mutato cursu, ut eodem tamen semper spectet. nec enim in administratione reipublicae perpetua quaedam actio, ad summam legitimi iuris normam directa, sapientibus probatur: sed assentiendum saepe temporibus; quidque publica postulet utilitas, animaduertendum. quod Curioni Cicero proponit.

Quanta varietas rerum] Quo magis excitanda tibi est prudentia tua. nam eadem, aut similes res minore negotio, quam varie geruntur.

Incerti exitus] Nihil igitur noui cogitandum, exitu rerum incerto. Timet Curionis multiplex ingenium; ne quid in republica noui moliretur, spe alicuius boni proposita: quod et facere solebant tribuni plebis, et fecit ipse Curio: cuius turbulentus in primis, ac seditionosus tribunatus fuit.

Flexibiles hominum voluntates] Quae si flectuntur, tua flecti non debet, sed eadem esse erga repu-

blicam in isto magistratu, qualis adhuc fuit.

Quid insidiarum] *Multae insidiae sunt bonis*, dictum a vetere poeta, cuius testimonium recitatur in orationibus pro Sextio c. 48. pro Plancio c. 24. has tu vitabis, si consilium capies a te ipso. Paulo ante: *numquam labere, si te audies*. Infra: *tecum loquere: te adhibe in consilium: te audi: tibi obtempera*.

Quid vanitatis] Quid inconstantiae. nam lib. 2. de Nat. Deor. c. 21. *vanitati opponitur constantia*, hoc exemplo: *Nulla in caelo nec fortuna, nec temeritas, nec erratio, nec vanitas inest: contraque omnis ordo, veritas, ratio, constantia*. Ductum ex communi rerum natura. ut enim, ubi soliditas, ibi grauitas; et ubi grauitas, ibi constantia: sic, ubi vanitas, ibidem et leuitas, et inconstantia. Quid igitur vanitatis in vita, cum optime noueris; cognitum tibi vitium facile vitabis; nec te deprauati aliorum mores a tua consuetudine deducunt.

Nihil noui] Rerum nouitates in republica periculosae. itaque Platoni placuit, mutatis etiam musicorum cantibus, mutari simul ciuitatum status. Nouitates autem, quibus respublica ab optimo statu ad pessimum traducta libertatem amittit, omnes fere tribunorum plebis legibus, aut intercessionibus, exortae.

Te audi: tibi obtempera] Sequuntur haec ad ea, quae proxime antecedunt. Loquere, inquit, tecum, et te audi: te adhibe in consilium, et tibi obtempera. quadripartita sententia est: sed duae pos-

L

sterio-

steriores partes prioribus annectuntur. Hortamur autem, quos valere consilio arbitramur, ut se ipsos audiant, secum loquantur: quos vero contra opinionem falli, et aliorum egere consilio credimus, iis, ut amicos audiant, cum iis loquantur, suadere consuevimus. propterea orat. 10. in Antonium c. 3. hortatur Cicero Calenum, Antonio potius, quam M. Bruto faventem, his verbis: *Collige te: audi viros bonos: loquere cum sapientissimo homine, genero tuo, sapientius, quam ipse tecum.*

Tibi vero ipse] Ne videatur assentando falsa dicere, quod neminem, praeter se ipsum, a Curione velit in consilium adhiberi; subiungit haec: ideo te hortor, nemini ut aures praebeas, te unum audias; non quod omnino omnium consilia negligam, teque cunctis unum, praesertim adolescentem, anteponomam; sed quia, ut alteri melius, quam tu, possit aliquis consilium dare; qui tamen non facile inveniri potest; tibi certe ipsi nemo melius dabit. Ita et assentandi suspensionem Cicero vitat; et, quod ei propositum est, ut Curio se ipsum dumtaxat in consilium adhibeat, id hac ratione probat, quia consiliarius in republica gerenda ipse sibi optimus, ac sapientissimus futurus sit: quandoquidem neque quisquam ab ullo magis, quam a se ipso, diligitur; nec alteri magis, quam ipse sibi, notus est.

Dii immortales] Inuocatione deorum, verbis fides additur. quasi hoc dicatur: testes mihi sint dii immortales, quam adesse cupiam spectator laudum tuarum. lib. 2. de Fin. c. 28. *Quos ille, dii immor-*

tales! cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perfererat? Et Terentius in Eun. Act. 2. sc. 2. v. 1.

Di immortales! homini homo quid praestat!

Spectator laudum] Optimus post hortationem laudandi locus: ne monuisse videatur, quia Curionis prudentiae, aut constantiae diffidat.

Vel particeps, vel socius, vel minister] *Particeps*, quod vtereris consiliis meis: *socius*, quod, si consiliis meis non egeres, me tamen in tuis socium haberes: *minister*, quod opera studioque meo exsequerer consilia tua.

Hoc] Quod posterius posui, ut adsum vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum tuorum.

Minime tibi desit] Cum in te ipso, quae ad tuas laudes pertinet, omnia sint: vel, quod amici, quorum opera, aut etiam, si velis, consilio vti possis, tibi non desint.

Sed tamen] Grata correctio, ex amoris commemoratione sumpta.

Magnitudo, et vis] Auet posteriore verbo: vel quia vis ex magnitudine proficiscitur; vel quia non in omni magnitudine vis inest. vis autem amoris efficit interdum, ut maiora praestemus, quam expectantur.

Vt possem] Quod fortasse non possem, si te tam valde non amarem. me ipsum, inquit, vincerem, amore adiuuante.

Rem gessimus] In Amano monte, ut epist. 10. Capto etiam Pindenisso, ut lib. 15. epist. 4. et lib. 5. ad Attic. epist. 20.

Totius aetatis] Pindenissum tamen non aetate, sed Saturnalibus, id est, XIV. Kal. Jan. in suam potestatem redegit: quod Attico scripsit lib.

lib. 5. epist. 20. verum res aestate gestas appellat, quod *aestiva* vocarentur, quaecumque aestate coepta essent, licet ante hiemem non perfecta. sic lib. 3. epist. 9. *aestiva* confecta, non nisi Pindenisso capto, significat: cum tamen deditio Pindenissi Decembri mense facta sit.

Ad senatum] Eae litterae non exstant. nam quae leguntur lib. 15. res gestas non exponunt. ad senatum autem scripsisse videtur Ianuarii mensis initio, ad nonos consul: quod ex lib. 5. ad Attic. epist. 20. licet intelligere. quod cum ita sit; potuit hanc epistolam scribere mense Decembri. nam, cum Pindenissum XIV. Kal. Ian. captum ostenderim; et hic rem feliciter esse gestam, scribatur; necesse est, Curionem iam tribunatum plebis iniisse: nam tribuni plebis primus magistratus dies fuit, non Kalendae Ian. vt aliis magistratibus, sed quarto idus Dec. vt Lilius, Dionysiusque docuerunt.

De sacerdotio tuo] De pontificatu, quem petiit, et obtinuit, patre mortuo, vt in eius locum surrogaretur. de patre mentio fit in orat. de harusp. respons. c. 6. de filio apud Dionem lib. 40.

Quantam curam adhibuerim] Litteris ad amicos Romam scriptis. ex quo suspicor, Curionem petiisse pontificatum multis mensibus post reditum in urbem. rediit enim Calvino et Messalla coss. vt epist. 6. demonstratum est. sequenti anno consulatum tertium Pompeius gefit: post eum Ser. Sulpicius et M. Marcellus: quo anno in prouinciam Cicero profectus est: et ex prouincia Romam scripsit de sacerdotio Curionis. suspicor autem,

nondum Curionem fuisse pontificem, cum has litteras Cicero misit. quod haec omnino verba significant.

Re atque causa] Dixi iam, quid inter rem et causam interfit. *res* est totum negotium; *causa* negotii pars, de qua maxime laboratur. *Res* hic est, surrogatio pontificis; *causa*, vt Curio ipse surrogetur.

Thrasoni] Seruile nomen, quod in liberto remansit.

Liberto tuo] Ergo vocabatur C. Scribonius Thraso. nam liberti patronorum praenomine, et nomine utebantur.

Ne patiare] Poterat enim tribunus plebis intercedere, si quis annuam prouinciarum administrationem prorogare vellet.

Molestiam] Quam significat in omnibus fere epistolis. lib. 11. 12. et lib. 3. epist. 8.

Non putarem] Et sane comitiis tribuniciis non videtur Curio petiisse: sed, designatis omnibus tribuni plebis, cum Seruius, tribunus designatus, condemnatus esset, eius locum Curio, subita voluntate commotus, petiit, et obtinuit. de quo Coelius lib. 8. epist. 4. hoc modo: *Illud te non arbitror miratum, Seruium, designatum tribunum plebis, condemnatum: cuius locum C. Curio petiit.* huius autem voluntatis initium, et causa est, quod eum non mediocriter Caesar, qui solet infimorum hominum amicitias sibi, qualibet impensa, adiungere, contempsit.

A Curione tribuno] Pondus est in nomine Curionis: quasi potestatem tribuniciam augeret animi, ingenique praestantia. tale illud epist. 18. *Et quaestor est, et quaestor tuus.*